

**Disputatio Philologico-Theologica ... De Convenientia Novissimi Jvdicii Cvm Legislatione**


**Posterior :**

Tevtobvrgi Ad Rhenvm: Typis Joh. Seb. Stravbii, [1753?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn857505602>

Band (Druck) Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn857505602/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn857505602/phys_0001)

DFG

385


a. B.  
48. 6. 8.

18


La-1092 (18.)



2.  
3. 23.  
4. 22.  
5. 21.  
6. 20.  
7. 19.  
8. 18.  
9. 17.  
10. 16.  
11. 15.  
12. 14.  
13. 13.  
14. 12.  
15. 11.  
16. 10.  
17. 9.  
18. 8.  
19. 7.  
20. 6.  
21. 5.  
22. 4.  
23. 3.  
24. 2.  
25. 1.



2.  
3. 23.  
4. 22.  
5. 21.  
6. 20.  
7. 19.  
8. 18.  
9. 17.  
10. 16.  
11. 15.  
12. 14.  
13. 13.  
14. 12.  
15. 11.  
16. 10.  
17. 9.  
18. 8.  
19. 7.  
20. 6.  
21. 5.  
22. 4.  
23. 3.  
24. 2.



2.

3.

23.

4.

22.

21.

5.

20.

6.

19.

7.

18.

8.

9.


15.

10.

14.

11.

12.



DISPUTATIO  
PHILOLOGICO - THEOLOGICA  
POSTERIOR  
DE  
CONVENIENTIA  
NOVISSIMI JUDICII  
CVM LEGISLATIONE

QUAM  
V. D. O. M.

PRÆSIDE

PHILIPPO JACOBO  
AMMENDORFF


S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD.  
IN ACADEMIA REGIA DVISBVRGENSI  
D. V. JAN. MDCCLIII.

H. L. Q. S.

DEFENDENDAM SVSCIPIET  
RESPONDENS

JOHANNES PETRVS  
VON DER LETTEN  
DVISBVRGENSIS

S. S. THEOL. CVLT.



TEVTOBYRGI AD RHENVM  
TYPIS JOH. SEB. STRAVBII, ACAD. TYPOGR.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

13.

VIRO  
ILLVSTRI, AMPLISSIMO ET  
CONSULTISSIMO  
DOMINO  
JOHANNI HENRICO  
SUMMERMANNO

JVRIS VTRIVSQVE DOCTORI CELEBERRIMO,  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

BORVSSIÆ REGI

IN

REGIMINE CLIVENSI ET MARCANO

AB INTERIORIBVS CONSILLIIS

GYMNASII HAMMONENSIS CVRATORI

NEC NON

CLIVENSIVM SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO.

VIRO

DE PROMOENDA PATRIÆ TOTIVS SALVTE,  
DE JVRE ET IVSTITIA PLVRIMVM MERI-  
TO, ET IN DIES MERENTI

MÆCENATI SUMMO

HANC DISSERTATIONEM

IN

SVMME OBSERVANTIÆ TESSERAM

SACRAM ESSE VOLVIT

DEFENDENS.





Legislator, coruscantibus hinc inde fulgetris & horrorem incutientibus כקול גורל VOCE MAGNA (1). Non ac si, ut recte PHILŌ *Judeus* (2) observat, more hominibus proprio, ore locutus esset Deus, corpore organico ut spiritus purissimus & simplicissimus destitutus, ἀλλὰ κελύσας ἤχην ἀόρατον ἐν ἀέρι δημιουργηθῆναι, πάντων ὁργανῶν θαυμασιώτερον, sed jussit articulatam vocem invisibilem, (hoc est ex nullo corpore visibili,) prodire ex aëre, mirabiliorem sonitu omnium instrumentorum. Magna res agebatur. Magnus cœlestibus relictis sedibus, descendebat legislator, publicaturus legem suam, magnum promittentem præmium morem gerentibus, & ad illam tanquam normam unicam sua facta exigentibus. Aderat refractariorum turba maxima, in quævis scelera & flagitia proterve ruens, quæ non nisi magna tremendaque voce, ut ferio rem agi intelligat, ad frugem revocari & in ordinem salutiferum cogi potest. Addit testis fidei probatissimæ, & omni suspicione major *Moses* פנים בפנים ore ad os locutus est *Jehovah vobiscum* (3). Phrasi hac excellentissimus revelationis divinæ modus describitur, quando voce pura in aëre formata, Deus immediate suam voluntatem declarabat mortalibus (4). *Jesus Christus* summus legislator coram quasi, Præfens, sine ulla tamen corporea mole (5) loquebatur præsentibus, non in ecstasi,

(1) *Deut.* 5: 19.

(2) *De Decal.* p. 748.

(3) *Deut.* 5: 4. Finxerunt etiam gentium Legumlatōres celeberrimi, ut omnibus notum, alloquia divina. Sic *Mneves* suas leges *Mercurio*, *Minos Fovi*, *Lycurgus Apollini*, *Zamolxes Vestæ*, alii alii illas vindicarunt numinibus. Propter hæc cum Diis commercia etiam Legumlatōres suos, honoribus prope divinis, condecoravit antiquitas.

(4) Describunt hunc revelationis divinæ modum *VITRING: Theol. Prophe.* p. 13. *GVRTL. Theol. Prophe.* p. 18. *WITSIVS Miscell. Tom. I. Lib. I. Cap. VI.* p. 28. sequ.

(5) Non desunt existimantes *filium Dei*, corpore humano visibili apparuisse

ecstasy, cessante sensuum externorum ad tempus usu, raptis, quale quid in prophetis miramur; sed sibi suarumque rerum bene consciis, vigilantibus & composito gradu ad montis radices tendentibus. Nam quemadmodum symbola maiestate plenissima presentiae numinis, suis oculis usurpabant, sic & auribus suis vocem loquentis hauriebant. Modum tamen hunc vix mortales ferre, haec ipsa historia testatum facit. Ad aspectum tremendorum signorum, gradum

ruisse in monte Sinai. Militat horum in castris *cel.* LAMPIVS *Faed. Grar. T. III. p. 375. sequ.* Sed obstat huic sententiae vera contestatio *Mosis Deut. 4: 12. 15. Vocem verborum audivistis, sed nullius rei speciem vidistis.* Et qui argumentum ad *εικονολατρείαν* vitandam ex hac historia desumere potuisset, si humanis exuviis vestitus apparuisset in monte Christus? Neque patrocinatur huic sententiae historia, quae *Exod. 24: 10.* legitur. Nam 1) accidit haec historia post Legislationem. 2) Locutio, *viderunt Deum Israelis* non potest sensu proprio accipi *Exod. 33: 10.* est igitur ad sensum improprium confugiendum. Improprie autem, ut notum est omnibus, *videre Deum*, idem est, ac eo in loco contineri ubi Deus signa luculentissima suae praesentiae gratiosae demonstrat, esse interioris admissionis. *Conf. Matth. 18: 10. 5: 8. Psalm. 17: 15.* Sensus igitur est, accessisse seniores & vidisse locum illum quem signis divinitatis collustrabat Legislator, quem in vertice montis summo fuisse §. IX. observavimus. 3) Nulla species visibilis describitur. Dicitur quidem *תחת רגליו* sub pedibus eius, erat velut opus structurae lapideae sabbiri. Sed si adfuit species quaedam visibilis pedibus instructa, qui est factum ut tantum describatur Pavimentum, non autem ei insistens persona. Haec enim, dubio procul omni, longe dignius & excellentius scribendi praebet argumentum historico prudenti, quam quidem stratum caeruleum. Voces *תחת רגליו* continent, sine ulla suspitione pedum, periphrasin elegantissimam Pavimenti, quam Graeci per suum *ὑποπόδιον*, & scabellum pedum & *pavimentum* denotans, nec non Romani per suum *suppedaneum* expriment. Hoc vero pavementum erat summum in nubibus prominens cacumen montis, cui nubes gloriosa incubuit, quodque non sine specie visionis Propheticae, in oculis seniorum depingebatur & delineabatur ut planum, lapidibusque pretiosis stratum.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

13.

gradum Israelitæ, anxii licet sistunt; sed vocem loquentis Dei audientes, in fugam exanimes conjiciuntur, Moſen ro-  
gant, *ut ipſe loqueretur non Deus, ne emoverentur* Exod. XX. 19. Idem aperte docent exempla *Hagarae, Jacobi, Manoæ* (1) & aliorum, qui alloquio divino ſunt dignati. Moſes vero ſolus, gratia ſingulari ſuffultus, præſentiam Dei ejusque alloquium terre potuit. *Alloquebatur enim ipſum Jehovah facie ad faciem*, hoc eſt præſens præſentem, *quemadmodum alloquitur amicus amicum.* Exod. XXXIII. 11. Num. XII. 8. Non injuria proinde prærogativæ ſingula-  
ris nomine, hoc ipſi in monumentis ſuis attribuant Judæi, & laudibus ſummis efferunt (2).

§. XIII.

*Magna quoque voce glorioſus hominum & angelorum judex, in ſupremo judicio ſententiam publicabit.* Difertis equidem verbis in ſacris voluminibus hoc non doceri, ingenue fatemur; Sed attenta rerum circumſtantium penſi-  
ratio hoc aperte loquitur. Exiſtimandam enim non eſt, ac ſi hominum ſingulorum cogitata, dicta, fata, vita, in ſo-  
lemniffima hac Panegyri a judice minutatim ſint excutien-  
da, licet a Theologiſ tantum non omnibus, hoc ſuppona-  
tur

(1) *Gen. 16: 13. 32: 24. Jud. 6: 22. 13: 22.*

(2) MAIMONIDES in *lib. de fundamento leg. c. VII. §. 6.* de prærogativis Moſis diſſerens dicit, antecelluiſſe omnes Prophetas  
1) quia omnes vaticinia in ſomno aut viſione acceperint, Moſen autem vigilantem acceſſiſſe ad Deum, & ex ore ipſius verba ex-  
cepſiſſe. 2) Omnes Prophetas ſua oracula interveniente angelo accepiſſe, Moſen autem immediate a Deo 3) omnes Prophetas horrore percuſſos fuiſſe in ſuis viſionibus, minime autem Moſen  
4) Omnes Prophetas non quovis tempore donum vaticinandi ha-  
buiſſe, Moſen autem omni tempore hoc dono fuiſſe ornatum  
Conf. etiam poteſt *cel. WITSIVS Miscell. T. I. in Præſat. §. 4. & lib. I. c. VII. pag. 34. Ejusd. Judæus Chriſtianus. p. 31.* Sunt tamen ex Judæis, qui ipſum infra Bileamum de-  
primunt.

tur (1).<sup>no</sup> Necessitatem hoc statuendi, nullam videmus. Nam ad splendidum radiansque tribunal citatorum pars maxima, sententiam judicis jam audivit, in judicio particulari, statim post mortem in anima instituto, per quod denatorum superstes pars nobilissima, vel ad ineffabilem Dei gloriam transfertur, vel in horrida tartari loca detruditur. (2).<sup>ada</sup> Cui bono igitur iteratum institueretur examen omnium & singulorum? (3).<sup>no</sup> An non hinc fit probabile, judicis supremi munus, in comitiis universalibus totius generis humani & mortuorum & viventium, implendum, præcipue in sententiæ vel *damnatorie* vel *absolutorie* pronuntiatione solemniter consistere? Idem discimus ex Processu hujus judicii, Math. XXV. 31. ad fin. delineato, in quo sententiæ rationibus decidendi superstructæ publicatio quidem describitur, sed operosi & ad omnia omnium hominum facta sese extendentis examinis non fit mentio.<sup>no</sup> Superfluam solemnem hanc sententiæ publicationem futuram, sibi nemo persuadebit, qui consideraverit, omnes quos novissimus dies vivos deprehenderit, iudicium particulare nondum subiisse, & non parum ad beandorum gloriam augendam, & ad pudorem incutiendum illis qui causa in hoc iudicio cadunt facere. Sententia autem hæc voce remissa edici nequit. Ut omnes audiant, vox intensior, vox magna requiritur. Et qui vox aspera, a tribunali scelestos in infernum detrudens, *ite maledicti*, quæ horrorem iacutere

D 3

infeli-

(1) Conf. WITSII *Exercit. in Symb. Apost. Exercit. 22.* pag. 315. CANZ *Betrachtungen über die Augsp. Conf. Tom. IX.* p. 308. f.

(2) Negavit iudicium hoc particulare ante paucos annos *cel. HEYN* in Epistola notissima ad *celeb. BAVMGARTENIUM* in qua *Hypnopsychiarum* sententiam recoxit, eui vero, ut alios mittimus, obviam processit *Clar. SIMONETTI*, qui solidissime hoc iudicium adstruxit in den *Gedanken über die Lehre von der Unsterblichkeit und dem Schlaf der Seele, Parze I.* p. 122. f.

(3) Ex his quæ diximus, vexata quæstio de duratione iudicii novissimi, optime dijudicari potest.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

13.

infelicibus debet, blande & remisse posset pronunciari? Loquetur etiam iudex coram, praesens praesentibus. Omnes enim videbunt corpus gloriosum Jesu Christi, & intuebuntur ipsum a quibus est confossus. Zach. XII. 10. Joh. XIX. 37. Auribus igitur haurient vocem ipsius omnes, & damnati, si fieri posset ex conspectu sedentis in solio, ad exemplum Israelitarum sese subducerent. Si elabendi rima superesset, fuga salutem quaerent.

§. XIV.

In Legislatione tota Abrahami progenies a Mose obviam ducebatur Deo, adusque radices montis Sinai; non vero ut turba promiscua, sed pro distributione tribuum, gentium & familiarum. Nam jam ante exitum ex Aegypto, in ordines coactos fuisse Israelitas, memoriae proditum est Exod. XII. 51. ubi dicitur, quod *Jehovab* ipsos eduxerit **בְּצַבָּאָהּ** *per* EXERCITVS suos. Non minus clare hoc cap. XIII. 18. inculcatur, quando sacer scriptos **וְהָיָה** *ex Aegypto excessisse* memorat. Dissentiunt quidem Philologi in evolvenda hujus vocabuli insolentioris explicacione, in eo tamen conspirant amice plurimi, certum exitus ordinem indicari (1).

LITARI

(1) LXX. *Interpp.* perperam vertunt, *πέμπτη γενεὰ ἀνέβησαν.*

HEBRAEI ut plurimum vocem per **וְהָיָה** explicant, *expeditos, accintos, armatos* discessisse. Hos sequuntur AQVILA & SYMMACHVS, reddentes *καθωπλισμένοι*, GALLI *Les enfants d'Israel monterent en armes*, & LV THERVS, *die Kinder Israel rogen gerüstet.* *Vulgarissima interpretatio est, Quinos processisse.* Hanc sequitur THEODOTION reddens vocabulo, Graecis auribus non adeo noto, *πέμπταιζοντες*, & BELGAE *De Kinderen Israels nu rogen by vyven uyt Egyptenlant.* Fundamentum hujus interpretationis est radix **וְהָיָה** superstes in *Lingua Aethiopica*, in qua observante NICOLAI in *Lex. Harm.* pag. 289. significat, *quinque fecit partiendo.*

MILITARI *autem* ORDINE *ascendebant filii Israelis.* Ordine  
 etiam militari castra metati sunt in vastis & incultis Arabiae  
 solitudinibus, *juxta vexilla sua, & insignia majorum.* Num.  
 II. 2. seqq. Non errare etiam nobis videntur, qui formam  
 castrorum quadratam, medium tabernaculo tanquam praetorio  
 semper occupante locum, fuisse contendunt, licet calculum  
 non adjiciamus existimantibus, spatium XII. milliarium  
 in longitudine & latitudine occupasse. Ordine etiam  
 militari viam carpebant in deserto, Num. X. 5. seq. Quid  
 impedit igitur, quo minus dicamus eodem ordine, descendente  
 glorioso legislatore, sub auspiciis Moysis, ad cancellatas montis  
 radices esse adductos. Adductos vero esse, non ad hostem  
 oppugnandum, sed ut subditos ad supremum suum rectorem,  
 ad leges audiendas, non est necesse ut moneamus. Probabile  
 hinc nobis fit inermes Judaeos, non scutatos non gladiis  
 praecinctos, fuisse. Saltem apparatus armorum parum  
 conveniens his sacris fuisse. Quod si Judaeorum traditio  
 (1), Sabbathi tempore Legem esse latam, certis superstructa  
 esset fundamentis, testibus non egeret conjectura nostra;  
 hoc enim tempore arma capere nefas putant, & teste  
 CVNAEO (2) *Matthias Hassamonaeus* primus popularibus  
 suis persuasit, non esse hoc divinae legi contrarium.

§. XV.

Ordine etiam certo judicandos ad tribunal gloriosissimum,  
 in nubium tractu erectum, esse ducendos, non est quod dubitemus.  
 Angelis a judice quaquaversum ablegatis, id negotii esse datum,  
 ut colligant ex quatuor mundi cardinibus, redivivos omnes,  
 & ad tribunal in occursum judici ducant, ipse servator  
 beatissimus docet, *Matth. XXIV. 31.* Ipsum adductionis  
 ordinem distinctius edisserit Paulus

(1) Conf. MEIERI *Seder Olam* pag. 322.

(2) *Respubl. Heb.* lib. 2. cap. 22. pag. 352. & IOH. NICOLAI  
*in not. add.*

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

13.

Paulus declarando, primum in Christo mortuos ad vitam revocatos, angelis ductoribus esse adducendos, quos deinceps secuturi sint superstitibus illo tempore, spirantes viventesque ac mutationem illam magnam mortis vices implentem, qui sunt perpeffi. 1 *Thess.* IV. 16. seqq. Præter ordinem hunc generalem, etiam in specialia agmina tam hos quam illos distributum iri, nullum est dubium. Ordinem vero hunc quis definiat, quis determinet? Si diceremus per populos, nationes & linguas esse distribuendos, omni probali ratione penitus non destitueremur. Hanc enim distributionem judicandorum, nobis S. Spiritus indicare videtur per Johannem Apostolum, in excessu mentis *tantam turbam* videntem, *ut eam numerare nullus posset, ex omnibus GENTIBVS, TRIBVVS, POPVLIS & LINGVIS.* *Apoc.* VII. 9. Non depingit quidem præcise Apostolus, hoc in loco ordinis, in novissimo judicio observandi, rationem, utpote qui ne quidem de ecclesia lætos in cælis triumphos agente loquitur, quemadmodum interpretum præstantissimi recte observant; delineat potius faciem, quam in fine seculorum habitura est ecclesia pulcherrimam, phrasēs autem locutionesque ex cælitum societatibus & agminibus variis defumit, quod & in aliis locis ad exemplum Prophetarum facit. Tuto proinde hinc argumentari licet. Per *πᾶν ἔθνος* igitur totum genus hominum intelligit, quod & *Math.* XXV. 32. XXVIII. 19. *Act.* XVII. 26. ita describitur. Distinguit autem hoc in *φυλὰς tribus* sive numerosas nationes, communem stirpium progenitorem agnoscentes (1); has *φυλὰς* iterum distinguit in *λαῖς populos*, indicans quos Latini stricto sensu *gentes* vocant; has denique tribuum gentes porro pro Linguarum diversitate sejungit. Sic etiam ordinem specialem innuit, quando distinguit inter martyres, vitam

(1) Non tantum Hebræi, sed & Arabes, Græci, Romani aliique in *certas tribus* dividebantur. Conf. HOTTINGERI *Histor. Oriens.* p. 136. NICOLAI *ad Cuncum de Republ. Hebr.* p. 92. VBBO EMMIVS *de Republ. Græc.* T. I. p. 97.

vitam pro gloria Jesu Christi ponentes, & inter illos qui neque Bestiam aut imaginem ejus venerati sunt, neque notam in frontem receperunt. Apoc. XX. 4. Stabunt autem ordine adducti judicandi, non more tumultuantium aut fugitivorum confusi, coram tribunali tremendo, sed ad dextram absolventi, ad sinistram infelicis ominis causa damnandi, quemadmodum Servator Math. XXV. 33. docet. An vero hic respiciatur ad consuetudines in Synedrio Judæorum magno receptas, juxta quas scriba alter ad dextram sedens suffragia absolventia, alter vero ad sinistram constitutus condemnantia colligebat, determinare non audemus, licet viri doctissimi LAMPPIVS, MEDE, DRVSIVS, & SAUBERTVS (1) pedibus in hanc sententiam eant. In medio etiam relinquimus sententiam existimantium, adludi ad antiquissimum, reos coram tribunali ad sinistram, accusatos ad dextram, collocandi morem, quam cel. VITRINGA (2) propugnat. Potius amplectimur hypothesein illorum, qui non sine probabili ratione ad montem Garizim & Ebal respici conjiciunt. Testibus enim Judæis mons Garizim benedictionem profundens ad populi dextram erat situs, Ebal vero maledictionem in immorigeros & refractarios detonans ad sinistram. Propendent in hanc sententiam præter WALAEVM, BVRMANNVS, PELARGVS, & ex patribus RVPERTVS Abbas (3)

§. XVI.

Convincent, speramus, fuscè a nobis enarrata lectorem, exactissimam legislationem inter & judicii novissimi celebrationem intercedere convenientiam. Statuæ Mercurialis ad instar illa hanc non eminus ostendit, sed cominus exerto quasi digito monstrat. Quemadmodum vero res omnes inter se collatæ, in nonnullis, experientia teste a se discrepant, ita & hic

(1) Conf. WOLFFII *Cur. Crit. & Philol. ad Matth. loc. cit.*

(2) *Obs. Sacr. lib. 2. c. 4.*

(3) Conf. WALAEVS *ad l. Matth. cit.* BVRMANNVS *in Comment. suo in Deut. c. 27.* PELARGVS *ad Cap. Deus. cit.*

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

13.

hic usu venire, iustum est, ut ingenue fateamur, discrepan-  
tiasque allegemus, ac liberam, iustis rerum arbitris, judican-  
di potestatem relinquamus, an differentia sit tanta, ut fuisse ha-  
ctenus adstructa propterea deferere cogamur. Discrepant  
igitur Legislatio & novissimum iudicium

I) *Ratione temporis.* Accidit illa cum Abrahamidæ, di-  
vinitus manumissi, & potenter in libertatem vindicati in eo  
essent, ut sedes patribus promissas, eiectionis indigenis occupa-  
rent. Hoc vero, scena præsentis huius mundi finita, demum  
celebrabitur.

II) *Ratione comitatus iudicis.* Illic stipabant angelorum  
agmina iudicem, quemadmodum ad §. VII. est observa-  
tum; hic in splendido comitatu illustres quoque erunt sancti,  
iudicaturi ex doctrina *Jesu Christi* Luc. XXII. 30. Matth.  
XIX. 28. & *Pauli* I. Cor. VI. 2. 3. duodecim tribus Israelis,  
mundum & angelos. Qua in re vero sanctorum hocce iudi-  
cium consistat, melius est ignorare, quam temere & auda-  
cter definire velle (1). Sufficere nobis potest, supremam hanc  
judicandi provinciam, esse in coelitem concione, aut si ma-  
vis, in ecclesia primogenitorum, dignitatem & prærogati-  
vam singularem.

III) In monte Sinai *invisibilis erat tremendus Legislator,*  
& oculis suis Israelitæ signa majestatica tantum usurparunt.  
(§. XII. not. 5.) Invisibilis vero non erit legis executor ju-  
dex omnium (§. XIII.)

IV)

(1) Discrepantes virorum doctorum sententias, de hoc *Sanctorum iudicio*  
præter WOLFFIUM in *Cur. ad b. l.* WITSIVM in *Sym. Apost.*  
*Exerc.* XXII. §. 18. CANZIVM in *Contin. der Betrachtung*  
*gen über die Augf. Conf.* Tom. IX. p. 292. collegit clar. ARNOLD.  
NOLTENIVS, Fautor & Patronus noster dum viveret summus,  
cujus memoriam grata mente semper recolimus, in elegantissima &  
eruditissima *diff. de iudicio Sanctorum in mundum & angelos,* cujus hy-  
pothesin tamen, exerceri hoc iudicium ab omnibus omnium tempo-  
rum Christianis in præsentis hac vita, amore veritatis ducti, deferere  
cogimur.

IV) Differentiam desumimus *ex duratione*. Legislatio non diu admodum durasse videtur. Solemniter enim ore Legislatoris supremi domini nostri *Jesu Christi*, (1) tantum *decem verba* promulgabantur; cæterarum vero legum corpus Mofi, populo secure in castris quiescente, rogandum committebatur, & hoc ipsum sat commode vocare possumus **תורה שבעל פה** (2) Longioris temporis decursum, postulat judicii dies, *unicuique* ἰδιον promittens *μῦθον, κατὰ τὸν ἰδιον λόγον*. Hanc vero durationem quis definire vel determinare potest? Conf. quae ad §. XIII. hac de re observavimus.

V) Differentiam ponimus *in eventu*. Ex quo tempore lex erat lata, & ut par erat recepta a Judæis, jus habebant plena-

E 2

(1) Non desunt ex interpretibus Christianorum, existimantes patrem caelestem dicendi initium fecisse, filium autem exorsum a patre Sermone decem verborum excepisse, & ad metam perduxisse. Stat a partibus horum cl. OVSEEL *dissert. I. de Auct. decalogi p. 33*. Colligunt hoc ex commutato dicendi genere. Nam initium loquendi in decalogo fit in *prima persona*: EGO sum *Jehovah Deus tuus, non erit tibi Deus alius coram facie MEA, EGO Jehova sum Zelotes* &c. in sequentibus autem sermo in *tertia persona* instituitur. Sed quia in lingua Hebr. sæpissime personarum mutatio occurrit, observationem hanc solidam non esse existimamus. Exempla congestit plurima *cel. GLASSIUS Phil. S. lib. 3. Tr. 3. Can. L. p. 898*.

(2) In scriptis Judæorum frequentissima est distinctio Legis, in **תורה שכתב** *legem scriptam* & **תורה שבעל פה** *legem oralem*, & quid sibi velint Judæi hac distinctioe neminem latere existimamus. Pristinios autem Judæorum doctores, catechesin patrum suorum retinentes, longe aliud quid intellexisse persuasum habemus. Scilicet Lex **שכתב** ipsis ipse fuisse videtur decalogus. Hunc vocarunt *Legem scriptam*, quia per digitum Dei lapideis inscribebatur tabulis, asservandis in arca foederis. Per Legem a **שבעל פה** indigitabant corpus reliquarum legum Mosaicarum. Hoc vocarunt *legem oralem* quia Deus illud tabulis non impressit, sed ore tenus tradidit, quod & Mosen fecisse populo legimus, qui hanc ipsam legem deinceps litteris mandavit. Absit igitur ut hanc legem oralem quaeramus in Talmudis Rhapsodiis dumosis.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

plenarium adeundi Canaanem, hæreditatem veteris testamēti. Hujus enim, ut notum, erat conditio. Celebrato autem solemniter judicio supremo, absoluti vel damnati non introducentur ad possidendam amplam aliquam hujus terræ regionem, transmittendam ad feros usque nepotes; sed vel in cælum, sedes beatorum consummatorum, vel in ima Abyssi loca, lugubri & æterno fletu, ploratu & ululatu horrida. Ducit nos hoc ipsum ad

VI) Et ultimam differentiam. Scribebantur in monte Sinai libri; *digito* nempe *Dei*, hoc est, imperio & jussu omnipotentis Legislatoris exarata est, indelebili caractere lex decalogica in lapideis tabulis (1), quarum posteriores ad Captivitatem Babylonicam superstites manserunt. Exaravit etiam Moses deinceps legum ceremonialium & forensium summam, Exod. XXIV. 4. Instante autem dierum fine, non libri exarabuntur, sed exarati inspicientur, & evolventur. In scena prophetica Johannea, Apoc. XX. 11. seq. delineata, totam hominum progeniem ad tribunal judicis gloriosi collectam videmus non tantum, sed & dicit vir divinus *ψ. 12. apertos esse libros*. Neminem vero tam vecordem existimamus, ut de libris proprie sic dictis, hic sermonem esse sibi fingat. *Libri* hi nihil sunt aliud, quam omniscientia judicis, qua dicta, cogitata & facta hominum perspectissima habet, non secus ac si litteris, & quidem majoribus, in indicem vel catalogum essent relata (2). Testimonium illudque luculentissimum hic  
libris

(1) Miras de his tabulis, Judæi more suo narrant fabulas. Creatas esse ante mundum adspectabilem: sapphirinas fuisse & Moſen ex fragmentis tabularum priorum Cræſo ditioſiorem eſſe redditum: utrinque potuiſſe legi, & particulam in *D* clauſo per miraculum fuiſſe ſuſtentatam ne excideret &c. Quemadmodum cætera hæc tabulæ in ſancto ſanctorum, & quidem in arca fœderis aſſervabantur, ita quoque ethnici in templorum ſuorum adytis ſacros libros cuſtodire ſolebant. *Conf. APVLEJVS Metamorph. lib. XI. p. m. 291.*

(2) Tres Deo potiffimum in oraculis ſacris tribuuntur libri, nempe 1) liber univerſalis providentiæ, qui a Davide Pl. CXXXIX. 16. deſcribitur. 2) Liber vitæ tum temporalis tum æternæ, de quo ſermo eſt  
Exod

libris iudicis reddent libri conscientiae iudicandorum singulorum, quos praefraete ex hac scena excludere nolumus (3) Respici caetera phrasi ad consuetudines regum, quibus sui sunt libri, custodientes nomina & illorum qui propter virtutes beneficis sunt mactandi, & illorum qui propter scelera ad promeritum supplicium sunt rapiendi, observarunt viri doctissimi. Haec sunt illa, quibus differt iudicium novissimum a Legislatione Sinaitica. Concedet speramus, aequus lector, hypothese nostrae non adeo esse contraria, illamque nullo modo evertere, sed potius stabilire.

§. XVII.

Productis analogiis adfinitatem legislationis & iudicii novissimi adstruentibus, ordo postulat ut & de rationibus firmis solliciti, quare Spiritui sancto placuerit, iudicium ultimis reservatum temporibus, describere phrasibus & locutionibus, gloriosum Jesu Christi ad legem decalographicam ferendam descensum, luculentissime respicientibus. Spiritui enim sancto, qui est spiritus sapientiae & intelligentiae Jes. XI. 2. suas constituisse rationes, sanus dubitat nemo. Factum hoc esse existimamus, partim ut discerent mortales, & Legislatorem & iudicem esse eundem; partim ut per ipsam Legis meditatio-

E 3 nem

Exod. XXXII. 32. 33. Phil. IV. 3. Apoc. XIII. 8. 3) Liber iudicii. Hunc vidit Daniel C. VII. 9. 10. in conspectu antiqui dierum; de hoc quoque loquitur Johannes in l. c. Confirmat nostram sententiam cel. Vitembergensium quondam Theologus JOH. MEISNERVS; in dissert. de lib. vitae Cap. I. §. 5. ubi dicit per hos libros exactam Dei omnium dactorum factorumque notitiam intelligi.

(3) Hos libros intelligit divus AVGVSTINVS, lib. enim XX. C. 14. de Civ. Dei dicit intelligendam esse vim quandam divinam, qua fiat ut cuique opera sua vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu, mira celeritate cernantur: AVGVSTINVM sequitur SIXTVS SENENSIS in Bibl. S. p. 140. Neque abludit AMBROSIVS. quando ad Ps. I. dicit, conscientiam esse volumen grande, non scriptum atramento, sed delictorum vestigiis, & flagitiorum inquinamento.

23.  
22.  
21.  
20.  
19.  
18.  
17.  
16.  
15.

nem simul iudicium hocce in memoriam revocetur: *partim* quia phrasæ & modi loquendi sunt emphatici & optimi ad illustrissimum ultimorum temporum eventum delineandum. His accedit, Legislationem ut *typum* propheticum novissimi iudicii esse considerandam. Deducamus quantum fieri poterit breviter has ipsas rationes. Fit respectus ad legislationem in descriptionibus novissimi iudicii, *primo* ad declarandum & inculcandum, gloriosum legislatorem simul esse iudicem, ultorem & vindicem iustum scelerum admissorum; ferio velle legum suarum observantiam. Subterfugia & pallia quaerent immorigeri, propria conscientia damnati, si iudicis partes aliis essent commissa, & tantopere iudicii pertimescendum non esse tempus, sibi stolide persuaderent, quia alias ipse legislator, iudicii administrandi provinciam susciperet. Sed hoc modo nervus præscinditur omnis carni, hoc tempus tantopere exhorriscenti, & convincitur, *unicam esse Legislatorem* (1), *qui & servare & perdere potest.* Jac. IV. 12.

§. XVIII.

(1) In vers. Syr. & vulgata Latina additur: *& iudex.* Habentur hæc communiter pro glossemate, & ERASMVS in *Annor.* ad h. l. testatur, se duo hæc verba, *& iudex* non reperire apud Græcos. Sed a nobis non impetramus, ut huic sententiæ subscribere possimus, persuasi quod hæc verba ad contextum pertineant. Nam 1) observante clar. BEZA in *quatuor veteribus libris* scilicet manu exaratis, additum invenitur *καὶ κριτὴς & iudex*, quod & doctissimus WOLFFIUS in *Cur. Crit. ad h. l.* confirmat, docens non paucos codices & versiones duo hæc *καὶ κριτὴς* addere. 2) Quod palmarium est, contextus postulat hæc verba. Opposuerat Apostolus graves admonitiones detrahendi vel obtrectandi pessimo vicio *ψ. 11.* Ratione utitur præcipue hac, quia obtrector vel detractor involat in iura Dei, Deum solum supremum esse iudicem & sibi iudicium de hominibus reservasse *ψ. 12.* Expungas jam ex versu hoc 12 verba, *Deus est iudex*, videbis magna Apostolicam rationem laborare obscuritate, quæ statim dispellitur si duo hæc verba restituuntur, *unus est Legislator ET IVDEX.* Ipse ERASMVS propterea in elegantissima sua paraphrasi, hoc exprimere non neglexit, licet apud Græcos duo hæc verba non invenerit. Ita nempe *παραφράσεις: Habebit is qui peccat SVVM IVDICEM.*

*Secundam* rationem ipsa Lex in Arabia Israeli lata suppe-  
 ditat. Hæc est norma & regula, secundum quam ius, ad tri-  
 bunal illustre citatis reis, dicitur. Doctrinam hanc esse scri-  
 pturæ fidem faciunt testimonia virorum divinorum notissima.  
 Potest etiam hæc lex esse norma communis. Nam omnes, &  
 Græci & Judæi, Barbari & Scythæ, profunde illam in imis cordis  
 penetrantibus impressam habent. Non enim illam didicimus, non  
 hausimus, sed per ipsam naturam illa imbuti sumus, propterea et-  
 iam Paulus ethnicos ἀναπολογίτους pronunciat. Rom. I. 20.  
 Disciplina Jesu Christi perfectissimam hanc legem quoque non  
 abrogat Matth. V. 17. 18. neque novis illam auget præceptis,  
 quod sine summa legislatoris iniuria fieri non posset, quic-  
 quid in contrarium dicant qui a Socini stant partibus; incul-  
 cat illam potius novis, sanctioribus & altioribus incitamentis  
 & rationibus. Amorem Dei postulat ex toto corde ex tota  
 anima & ex omnibus viribus, quia Deus summo nos pro-  
 fecutus sit amore in Christo filio suo unigenito Joh. III. 16.  
 Amandum esse proximum docet, quemadmodum suo exem-  
 plo præiverit servator optimus Joh. XIII. 34. 35. Ex hac  
 lege igitur damnabuntur impii, maledictionem enim intonat  
 in omnes, qui non fecerunt omnia quæ sunt scripta Deut.  
 XXVII. 26. Gal. III. 10. *Qui sine lege scilicet scripta,  
 peccarunt, sine tali lege peribunt, qui vero contra legem, nempe  
 scriptam, peccarunt, per legem damnabuntur* Rom. II. 12.  
*Imo etiam, ut verbis utar cel. AMANDI POLANI, (1) legis  
 voce absolventur pii.* Non ac si ex operam suorum merito,  
 celestem gloriam coram tribunali Jesu Christi expectarent;  
 est enim hæc hæreditas, ex gratuita Dei electione profluens;  
 sed absolutionis sententiam expectant, quia per fidem cum Chri-  
 sto

CEM, *cur tu hujus partes occupas ante tempus.* Non improbamus  
 igitur institutum editoris novi Testamenti Græco - Anglicani, qui  
 WOLFFIO teste, verba καὶ κριτής in contextum recepit.

(1) *Synr. Th. Lib. VI, cap. LXIX, pag. 499.*

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

13.

sto capite suo, qui legem perfectissime implevit, arctissime sunt conjuncti. Tales autem habent vitam æternam, & in condemnationem non veniunt, sed transeunt a morte ad vitam Joh. V. 24. Huic fidei autem testimonium perhibent opera, maxime charitatis & misericordiæ, & hanc ob causam in judicio allegabuntur, ut patet ex Matth. XXV. 34. f. Lex hæc cum sit norma iudicii, quid mirum, si phrasibus & vocibus ex Legislatione petitis describatur? Hoc ipso meditatio legis, iudicium institutum, quod tantopere scelerum mancipia horrent, & cuius ideam quam longissime a se propellunt, non tantum in memoriam revocatur, sed etiam assiduum legis studium inculcatur.

§. XIX.

*Tertiam* rationem desumimus ex ipso iudicio novissimis temporibus destinato. Iudicium hoc illustrissimum & gloriosissimum est eventus, cuius splendori, maiestati & gloriæ non parum decederet, nisi phrasibus & locutionibus delinearetur, aptis, exquisitis, sublimibus, gloriosum iudicem decentibus, solamen piis & horrorem impiis spondentibus. Assensum nos hic impetraturos lectorum, non dubitamus. Nullæ autem phrasès, voces locutionesque, magis aptæ, magis emphaticæ & magis sublimes occurunt, quam in ipsa legislatione, ad illustrissimam hanc scenam depingendam. Recolamus tantum strictim, quæ fufius in antecedentibus profecuti sumus, ut hoc oculis nostris videamus. Jesu Christi, in quo maiestatem & gloriam veneramus summam, descensus ad ius dicendum, quomodo exquisitoribus & sublimioribus posset delineari locutionibus, quam luce gloriosa vestitum describere, infidentem tanquam currui triumphali nubibus, fulgetris & tonitribus gravidis: non in terra flagitiorum officina & rebellium lustro versari, sed in ætherea regione hæere, sub excavato cœli tecto, mira amoenissimorum colorum mixtura interstincto: ad se evocare per satellites suos, spiritus excellentissimos, pavidum, & rei novitate percussum genus hominum,

minum, tremente interim & cum stridore corruente totius  
terre machina & f. p. Sed an non maximam partem hæc de-  
scriptiones in legislatione sunt obviæ? Alias qui hic substi-  
tuere phrasas vocesque vellet, is sane idem faceret quod pi-  
ctor imperitus, qui humano capiti equinam cervicem junge-  
ret, & plumis variis exornaret.

§. XX.

Properamus ad ultimam nostram rationem paullo para-  
doxiozem. *Legislatio typus est* & quidem non illatus sed in-  
natus *judicii novissimi*; nihil verò est notius, quam antitypum  
in sacris describi phrasibus & vocibus typo propriis. Ne au-  
tem hæc ἀνευ λόγου & sine luce dixisse videamur, justum  
est ut hypothelin nostram adstruamus. Non negant theolo-  
giæ typicæ doctores oculatissimi πνευματικὴν δήλωσιν le-  
gislationis (1). Et qui illam negare possent? Omnia totius  
populi Israelitici fata fuerunt typica, liberatio ex Ægypto,  
trajectio maris rubri, errores in deserto, introductio ad re-  
quiem in Canaane promissam &c. In Apostolorum monumen-  
tis etiam, præcipue in epistola ad Hebræos ad suos antitypos  
transferuntur. Quo jure igitur, tam illustis & tam singula-  
ris eventus, qualis erat legisdatio, a quo fortuna Abrahami-  
darum omnis pendebat, ex numero typorum excluderetur?  
Dissentiunt verò a nobis nominati doctores, in designando  
νομοθεσίας antitypo. Vel enim illum inveniunt in ipsa oeco-  
nomia Mosæica, asperioris quæ erat naturæ, & cujus prolu-  
sio lex promulgata in suis circumstantiis erat: vel illum repe-  
tunt ex primis promulgationis Evangelii initiis, cum Spiritus  
S. sub

(1) Conf. LAMPII F. G. Tom. III. p. 274. & 915. seqq. WIL-  
MOMMÆ Oeconom. Patr. lib. 2. c. VIII. §. 11. & 26.  
JOH. van den HONERT Hist. Theol. typ. p. 108. BVR-  
MANNI Comment. in Exod. c. XIX. & alii.

23.  
22.  
21.  
20.  
19.  
18.  
17.  
16.  
15.  
14.  
13.  
12.  
11.



S. sub linguarum ignitarum symbolo descenderet; & donis suis salutaribus Apostolorum collegium inundaret. Instituti ratio non permittit, ut has sententias sub incudem revocemus, necessarium quoque non est. Pro scopo nostro sufficit, ut ostendamus argumentis evidentibus, & ex regulis Theologiae typicae non dubiis aut incertis, sed genuinis & claris, desumptis, legislationem judicium novissimum respicere ut anti-typum suum.

§. XXI.

Suadent vero hoc argumenta sequentia:

I) Ipse Spiritus S. docet disertis verbis, descensum Jesum Christi ad legislationem, descensum ad judicium praefigurasse, Heb. XII. 26. s. quem locum supra §. VI. vindicavimus (1). Spiritus S. vero declaratio, est unicum & genuinum theologiae typicae fundamentum.

II) Si non est typus propheticus judicii supremi, historia typica completa & integra non esset (2). Hoc ut ostendamus, supponimus quietam & tranquillam possessionem Canaanis, terrae Jehovae, esse *σκιάν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν*, & praefigurare *τὴν κατάπαυσιν ἢ ἀπολείπεται τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ*, docet hoc Paulus Heb. IV. 3, 9. Omnia igitur fata exstantiora populi Judaici, quae occupationem Canaanis praecesserunt, adumbrare debent varias vias, quibus emensis ad requiem perducitur Israel spiritualis. Sic liberatio ex Servitute Aegyptiaca,

(1) Observat FLACIUS ILLYRICVS in *Glossa Compend.* ad h. l. aliquos etiam totius mundi abolitionem; & spiritualis regni erectionem, quae in extrema die fiet, hoc dicto indicari, existimasse.

(2) Canon Theologiae typicae est: in *Historia quae rationem typico propheticae habet*, omnis res quae ad illam historiam ita pertinet, ut sine ea illa historia typica completa & integra non esset, etiam rationem typico - propheticae habere debet. Conf. Clar. HONERTII *Instit. Theol. Typ.* p. 25.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

ca, depingit liberationem Christi ex servitute spiritali: tra-  
 jectio maris rubri, emersum ecclesiae ex dirissimis imperato-  
 rum Romanorum persecutionibus: errores in deserto, mo-  
 ram ecclesiae sub tyrannide Antichristi, & possessionem pleni-  
 tudinis gentium. Si jam legislatio nihil in hoc historiae filo  
 adumbrat, statim ad Canaanem caelestem esset properandum.  
 Quis vero saltum non animadvertit? Quis non videt man-  
 cam & mutilam esse historiam hanc typicam? Non statim  
 populo Dei, collectis ad ecclesiam gentibus, aditus aperitur  
 ad Hierosolymam caelestem, sed in jus vocabitur. Quod  
 si vero historia legislationis ut typus iudicii novissimi prophe-  
 ticus admittitur, historia est integra. Quemadmodum enim  
 populus Dei in deserto ad montem Sinai jus accepit adeundi  
 Canaanem terrestrem (1); Sic Israel N. T. possidens gen-  
 tium plenitudinem, a Christo solemniter descendente, jus  
 plenarium accipiet possidendi regnum ipsis paratum. Hoc  
 modo optime cohaeret historia in typis repraesentata, tanquam  
 corpus integrum, accuratissimaque adest harmonia & symme-  
 tria, & nihil movetur ex loco suo.

III) Omnia beneficia per Christum praestita, & omnia  
 munera, suos habent typos clarissimos. Christus enim Mes-  
 sias, quemadmodum est scopus universalis totius scripturae &  
 verbi prophetici, ita etiam est objectum generale typorum  
 fere omnium, & quae ipsum ut *Σελήδρον* adumbrarunt  
*in sensu eminentiori typi* vocantur. Sic Goel V. T. in redem-  
 tione, Moses cum reliquo prophetarum choro, in munere  
 prophetico, pontifex M. in expiatione & reliquis functioni-  
 bus sacerdotalibus, Melchisedech, David & Salomo in digni-  
 tate regia ipsum praefigurarunt. An non hinc fit probabile,

F 2 existare

(1) Israelitae quidem statim post legislationem non introducebantur  
 in Canaanem, in causa erat peccatum in vitulo aureo commis-  
 sum, & murmuratio populi Num. XIII. & XIV. Quod si  
 autem non peccassent statim fuissent introducti.

existere typum aliquem clarum & evidentem, iudicii universalis, in quo iudicis munus servator implet. Officium sane hoc non est ultimum, pars est præmii laborum per ipsum peractorum excellentissima; dignitas enim hæc a patre in ipsum est collata *propterea quia est filius hominis* h. e. Messias Joh. V. 27. Si vero discefferimus a legislatione, typus illustris dignitatis hujus summæ allegari nequit ex V. T. respondens antitypo in omnibus circumstantiis.

§. XXII.

Opponi nobis possunt, iudicium in paradiso, admissio peccato institutum, & iudices qui summa cum auctoritate & dignitate, Josua vita functo, præfuerunt Israelitis. Sed primum quod spectat, non ignoramus contendere viros nonnullos doctos, typum gessisse novissimi iudicii, quod vero pace ipsorum sit dictum I) argumenta solida pro hoc typo desideramus, nudæ enim analogiæ, quibus ut plurimum sententiam propugnant nondum constituunt typum; felix enim ingenium vel inter res maxime dissitas & discrepantes, convenientias facile detegit. Requiritur ut factum vel persona sit typus, declaratio spiritus sancti. II) Analogiæ, quas urgent, repugnant. Nam a) accedebat iudex, annunciante tonitru adventum; verum non erat filius Dei, sed pater: is qui *semen mulieris* promisit, & inimicitiam posuit inter Iudæ & serpentem b) citatur reus & evocatur ex latibulis; sed non adducitur per angelos c) per iudicis sententiam reus, ex paradiso cæli symbolo eiicitur; sed in iudicio hoc nemo ex cælicolis domicilium suum perdet. Nam diabolus iam est expulsus. d) Adamus ex paradiso expulsus, & illo indignus iudicatus, non est damnatus, sed vitam æternam per semen mulieris promissum expectavit; damnatis vero in novissimo iudicio spes vitæ gloriosæ obtinendæ nulla superest. Habendum igitur iudicium paradisiacum, non pro

typo

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

13.

*typo prophetico*, sed pro *typo morali*, docente, quod Deus peccatores iis in locis, quæ signis suæ gratiæ collustrat, quibus modo speciali est præsens non ferat, sed expellat. Judices Israelis quod attinet, quorum dignitas quam proxime ad regiam accedebat, & qui populi erant duces bellici, fatemur, collatam Jesu Christo mediatori iudicandi facultatem & potentiam adumbrasse, sed quod probe observandum, quatenus illam in iudiciis particularibus, per providam suam curam, vindicando ecclesiam ab hostibus, exercet. Nullus vero horum iudicum unquam, de tota Israelitarum gente, ad tribunal collecta, iudicium instituit. Vt taceamus paucissimos illorum, universales *totius* populi iudices fuisse. Plurimi enim certas tantum regebant tribus ut SAMGAR, GIDEON, THOLA & IEPHTHAH, reliquis autem tribubus ius dicebant alii, quorum tamen nomina reticentur in sacris, quia bellicis facinoribus sibi famam non acquisiverant.

§. XXIII.

IV) Argumentum pro nostra hypothese desumimus ex phrasibus & vocibus, quibus novissimum iudicium describitur, quæ exacte respondent phrasibus in legislatione occurrentibus, quemadmodum in parallelismo instituto vidimus. Tam exactam vero convenientiam, latentis typi signum esse haud obscurum docent Theologiæ typicæ doctores. Argumentum quidem hoc solum nos non convinceret, quia §. XIX. adstruximus, non potuisse iudicium novissimum aptioribus & magis emphaticis describi phrasibus, quam illis ipsis, quibus Legislatio nobis ante oculos ponitur; cum reliquis argumentis vero conjunctum, magis firmat sententiam, quam adstruendam sumus. Saltem, qui antitypum in promulgationis Evangelii primodiis quærent, hanc harmoniam phrasum pro sua sententia allegare nequeunt. V) & ultimum argumentum desumimus ex analogiis luculentissimis inter utrum-

utrumque eventum intercedentibus, quas oculis lectorum sub-  
 jecimus. Nullam ludibundo ingenio finximus, nullam obtor-  
 to collo, vel vi ad nostram sententiam pertraximus, sed sua  
 sponte se nobis obtulerunt, & naturaliter fluunt omnes, ut fa-  
 teri cogamur, Spiritum Sanctum tacite per legislationem, tan-  
 quam picturam elegantissimam tanto artifice dignam, su-  
 premum Judicium exhibere voluisse. Cum igitur Le-  
 gislatio typus sit historici judicii, quod nos manet, ju-  
 re phrasibus depingitur talibus, quæ digito quasi legis-  
 lationem monstrant.

§. XXIV.

Faxit Servator noster, qui suo sanguine nos rede-  
 mit, & cui Judicium omne est traditum, ut abnegatis pec-  
 catorum inquinamentis & sordibus omnibus, temperan-  
 ter, pie & juste, adjuti Spiritus Sancti gratia ævum a-  
 gamus, & misericordiæ ac clementiæ operibus operam  
 navemus, ipsique vera & non fucata fide constanter ad-  
 hæreamus, ne veniamus in Judicium, sed per mor-  
 tem ad vitam benedictis patris cœlestis  
 paratam transeamus.





# THESES RESPONDENTIS.

I.

Adamus in statu integritatis non tantum habuit Theologiam naturalem, sed & revelatam.

II.

Ratio homini peccatori non sufficit ad salutem.

III.

Locus i Joh. VI. v. 7. 8. est genuinus.

IV.

Deo adscribi nequit annihilatio positiva, sed tantum negativa.

V.

Paradisus non in cœlo, sed in terra est quarendus.

VI.

Arbor vitæ durante statu integritatis non erat typus Jesu Christi.

VII.

Deum in statu integritatis cum Adamo fœdus operum pepigisse, clarissime probari potest.

VIII.

In hoc Adamus erat caput totius generis humani.

IX.

Præceptum de abstinendo ab arbore vetita erat sapientissimum.

X. Ge.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

13.



X.

Geneseos caput secundum sine immediata revelatio-  
ne Dei scribi non potuit.

XI.

In federe operum non erat mediator, neque illo  
indigebat.

XII.

Fluvium aliquem in paradiso scaturiginem suam ha-  
buisse, *primo* descriptio Mosaica Gen. II. v. 10.  
& seqq. & *secundo* phrasae Hebraicae  
coll. Ezech. XL. v. 1. Zach. XIV. v. 8. &  
Apo. XXII. v. 1. probant.

XIII.

Maria peccato originali infecta fuit.

XIV.

Paulus in negotio Justificationis non contradicit  
Jacobus.

XV.

Hominem ad talem perfectionis statum posse per-  
venire, ut penitus non peccet, negamus.

XVI.

Duo tantum dantur Sacramenta N. T. nempe Ba-  
ptismus & Sacra Coena.

XVII.

Nulla datur confessio auricularis sub N. T. ad con-  
sequendam peccatorum remissionem.

XVIII.


Altare sufficit non in Sancto Sanctorum, sed in  
Sancto collocatum fuit.




Index.

- 1.) Jar. Bucher (P. P. S. Baumgarten) de variis modis abutendi Evangelio.
- 2.) So. Rud. Ant. Piderit de Characteribus Antichristi.
- 3.) Guil. Christ. de Glanz, de Sura docendi in conventibus sacris.
- 4.) So. And. Tafinger (P. P. S. Baumgarten) de Sacramentis generationis spectatis.
- 5.) Fabr. Joh. Speck (P. P. S. Hartmanni) de Consubstantiatione nullo modo hæretica.
- 6.) Joh. Tilmann & Schenck de morte fidelium temporari.
- 7.) So. Mart. Chladenius de morte fidelium post devotam a Servatore mortem residua nihil paradoxi. (Habitu.)
- 8.) Bernh. Georg. Dredmanni (P. P. S. Baumgarten) Historia doctrine de statu animarum separatarum.
- 9.) So. Christ. Hebenstreit Dissertatio: Num Moses in formanda sua gentis Republ. de futuris promissis aut poenis cogitaverit, eorumque aliquam mentionem fecerit?
- 10.) Phil. Luc. Ammendorf de convenientia novissimi Legis cum Legislatione. Diff. prior Diff. posterior
- 11.) \_\_\_\_\_ Diff. posterior
- 12.) Gotth. Merindorfii Dissertatio: Utrum forsan nonnulli pii ante diem extremum resurgant?
- 13.) Gotth. Joh. Winckleri (P. P. S. Baumgarten) Concentratio quædam Oratio, Meditatio, Tentatio, sicuti Spiritus Theologi.
- 14.) Gotth. Muller de E. rickela Theologica.
- 15.) Rud. Lich. Lovemannii Dissertatio: Num mens hilarior, an tristior Ministris Eccl. potu magis deest?
- 16.) So. Lud. Frid. Schulleri (P. P. S. Baumg.) Fuga Christianorum & in sp. Sacerdotu ad tuitionem Pal. & Revel. exacta.
- 17.) Hier. Jan. Schläumer (Prof. Eccl.) de Curatione necessaria in quædam de Displicia in Eccl. ora depectu infaurandis, & Epidemio.
- 18.) So. Georg. Kruppis de Statu temporum nato Christo & de singulari plene temporis nostri signo.
- 19.) Laur. Reinhardi Synopsis & Prodomus Theologiae Eccegeticae.
- 20.) Hier. Georg. Götzneri Examen rationis interpretandi a Westphalis plerumque adhibita.
- 21.) Gust. Georg. Zeltneri Evangelium Tetragrammatos e. N. T. regularis.
- 22.) Car. Lud. Francke (P. P. S. Michaelis) de Josepho, typis vestigia admodum perfecta.
- 23.) Joh. Fried. Stoy (P. P. S. Pfizeri) de Beneficiis Typicis.


















...m applicari, verba τῆς Θεολογίας Johannis in Apoca-  
nt, dum regnum hujus hostis, Babylonem & Aegy-  
i etiam inter alia, ratione superbiae & securissimae  
nunquam metuendo statu pejori, quam maxime  
bservari censemus.

§. XIV.

... sunt selecta quaedam beneficia in Vet. Test. fide-  
ei collata, quibus, velut in typo, altiora Nov. Test.  
ta fuerunt, & in quibus breviter delineandis, scopo  
strae, quantum in viribus fuit, satisfecisse speramus.  
concedimus, dari adhuc plura, quae ad hanc classem  
ir, & quae proinde etiam copiosius elaborari possint.  
locum haberet Conjugium, a Deo in hominis creati  
titutum, quod Paulus (τ) μυστηριον sive typum unio-  
Ecclesia vocat. Addendus etiam esset totus cultus  
us, quem Paulus ipse ad Christum retulit, in quo,  
nerosa & servilia reperiantur, quae pro externo ha-  
otam non habent, multa tamen simul connexa sunt,  
t, quae populo Dei utique erant salutaria, quaeque  
beneficiorum nucleum continent. Huc tendit ef-  
sacrificiorum, huc tendunt illa βαπτισματα, purifi-  
e sunt reliqua. Sunt & nonnulla beneficia personis  
iculariter exhibita, in quibus vestigia typi non adeo  
usdam videntur. Quoniam vero haec & similia, limites brevis  
excederent, merito filum Dissertationis abrumpo; DEO que  
o pro singulari in hoc labore concessio auxilio, gratias ago de-  
as. Ille porro benedicat conatibus meis, eosque ad sui Nominis  
mplificet cognitionem in veritate sua, quo, (qui harum medita-  
quoque esse debet scopus & usus,) indies beneficiorum suorum  
m detegamus; Sapientiae abyssum venerabundi admiremur;  
bus etiamnum ex divina bonitate fruimur, beneficiis tanquam  
ia atque eminentiora, quae Gratia Benignissimi Numinis animae  
t, utamur; & post primitias eorundem, in regno gratiae de-  
indem per beatam αναλυσιν ad amplissimam eorundem  
nessem & beatificam fruitionem perveniamus.

S. D. G.

32.

G

PRAE-

